DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

T. 1196. 1

Ex libris Societatis Med-Chir: Aberdonensis

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICARDUS ROSCOE,

Anglus.


AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

322291



SUMMO ANATOMICO, OPTIMO VIRO,

ALEXANDRO MONRO Tertio, M.D. S.R.S.E.

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI,

COLLEGII REGII MEDICORUM EDINBURGENSIS

PRÆSIDI,

&c. &c.

QUI MAJORIBUS PRÆCLARIS EDITUS,

INGENIO TANTA PROSAPIA DIGNO IMBUTUS,

ILLISQUE DISCIPLINIS

QUÆ DOMUM SUAM ANTIQUAM

IN ARTIBUS QUOQUE INCLYTAM REDDIDERUNT,

MAXIMOPERE DEVOTUS,

EOSDEM TAM SCRIPTIS QUAM INVENTIS FELICITER AUXIT,

HASCE PAGELLAS,

SUMMA REVERENTIA,

NEC AMICITIÆ QUA SE DIGNATUS EST IMMEMOR,

INSCRIBIT

RICARDUS ROSCOE.

MED. CHIR. SOC.
ABERDEEN.

PATRI CARISSIMO,

GULIELMO ROSCOE,

HOCCE OPUSCULUM,

PIETATIS ET AMICITIÆ TENUE QUIDEM SED SINCERUM PIGNUS,

SACRUM VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Ricardo Roscoe Auctore.

PROŒMIUM.

Medentes qui cum laude dignitateque artem quam profitentur, facere volunt, nihil eorum negligere decet, quæ ad sanitatem impediendam morbosque alendos conferre videntur.

De Rheumatismo mecum disputare statui, morbo in "Britannia imbribus fœda" maxime frequenti. Hominum profecto est nemo, qualicunque sit ætate, qualicunque corporis temperamento et habitudine, quin, causis concitantibus ad-

motis, hoc morbo affici possit. Verum in eum tamen frequentius incidunt ii qui jam adoleverint, quive mediam etiamnum agant ætatem, quam aut impuberes, aut ætate provectiores, seniove confecti.

Rheumatismus ita a CULLENO definitur:—"Morbus ab externa et plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus."

Haud aliter quam febres cum inflammatione aliæ, rheumatismus ab algoris sensu, horroribusque iteratis incipere solet, debilitate quadam nova, et pigritia tam animi quam corporis comitante. Nec lentus tantum, demissus quoque animus est. Appetitus cibi jactura est, atque algores cum ruboribus vicissim alternant. Brevi post hæc signa dolor quasi jaculans, et teneritudo pene universa corporis fit, præcipue in membris inferioribus; quæ initio quam superiora gravius afficiuntur.

Sæpe intra paucas horas, pulsus fit natura robustior citiorque.

Hujus acuti morbi Arthrodynia, vel Rheumatismus longus, nihil nisi sequela est. Quum signa generalia inflammationem referentia semel confirmata fuerint, lingua, tunica quadam albida obducta est, pulsus robustus celerque, cutis aridissima, capitis dolor, membra fere tumida rubraque sunt. Æger plerumque quietus jacet, ne movendo summum moveat cruciatum. Dolor præcipue sedem habet in articulis majoribus, atque subinde forsan per musculorum tractum jaculatur. Alvus adstricta fit, sitis maxima, dolor capitis vehemens, atque aliquando ad delirium proclivitas adest. Sæpe quoque accedit perspiratio profusa, sed raro decretoria. Urina parca secernitur, atque saturi semper coloris. Dolor hoc in morbo haud infrequenter remittit, sedem mutat; brachia pro capite aliquando relinquere vidi; et celerrime, dolorem capitis acutum, et delirium generans.

DE DIAGNOSI.

Rheumatismum acutum ab aliis dignoscere morbis, raro difficile; cum paucis quidem morbis

confundi potest, si syphilidem et podagram excipias.

Quantum vero ad Syphilidem attinet, dolores hujus quam rheumatismi multo mitiores sunt; interdiu decedunt, raro febrem habent, media ossa magis quam capita occupant. Calore lecti minus intenduntur, citoque in nodos abire consueverunt.

Ab universo Podagræ aspectu, potius quam singulis ejus indiciis, hanc a rheumatismo acuto distinguimus. Podagra quidem articulos minores sæpius, unum fere aliquem locum adoritur, prægressis cruditate ac inflationibus. Rarissime porro junioribus podagra contingit, rheumatismus vero sæpius. Memini tamen puerum, tredecim annos, et patre admodum podagroso natum, illo malo vehementer laborasse. Notas morbi SYDENHAMIANAS fere omnes præ se tulit, edax, ciborum lautiorum apprime cupidus. Podagricis insuper doloris remissiones longe ampliores majoresque, quam in rheumatismo acuto, fieri solent. Colores quoque duarum inflammationum istarum non iidem: podagræ utique, atrior, splendidior. Si

consideremus igitur ætatem ægri, vitæ genus, valetudinem ante accessum, signa præsentia, corporis habitum, hominis proclivitatem hæreditariam, inter rheumatismum et podagram recte distinguere haudquaquam difficile erit; nisi quidem ab ipso protinus initio, misceri vix possunt. In rheumatismo concretiones ex urate sodæ in articulis nullæ depositæ.

Rheumatismus lumborum, quam Lumbaginem appellant, a Nephralgia sabulosa eo differt, quod nullam habeat nauseam, nec testiculi retractionem, nec cruris stuporem, nec dolorem illum demum ureteris sabulosis adeo familiarem. Sabulo vexatis quoque pulsus parum afficitur.

Pleurodynia autem, vel musculorum inter costas rheumatismus, a Pleuritide minus facile dignoscitur. Minus tamen tussis adest, pulsus minus durus in pleurodynia; pressus extrinsecus vel flexus corporis excruciat, dum plena inspiratio vix; decubitus in latus minime molestus est. Tussis porro nullum fere movet dolorem, sed pressio super periosteum admota gravissimum: vidi tamen affectum quendam pectoris hystericum cum magno dolore, spiritu perdifficili, rapido; thora-

cem simul atque abdomen vehementer agitante. Inflammationem esse persuasus, sanguinem misi, sed nullo solatio. Istiusmodi exemplum cum rheumatismo quoque confundi posset; sed indicia, hysteria prius vel jam præsentia, lenitas eorum quæ inflammationem monstrarunt, hunc affectum, quem magnus SYDENHAMUS primus reperit, ab rheumatismo satis discriminet.

DE CAUSIS DISPONENTIBUS.

Infantes rheumatismus acutus raro afficit. A pubertate ad quinquagesimum annum longe frequentius occurrit; quemvis corporis habitum, sed maxime sanguineum temperamentum, aggrediens. Quicquid corpus debilitat, ad hunc morbum proclive id efficere potest. Hujusmodi sunt febris continua, hydrargyri curriculum, potatio nimia liquorum inebriantium; privationes quælibet, affectus animi deprimentes.

Uterque sexus obnoxius, sed mares magis, quia frigoribus, imbribusque sæpius objecti. In autumno rursus, præ aliis anni tempestatibus sæ-

pius occurrere putatur; nec veri absimile, quoniam diebus tum adhuc calidis noctes gelidæ succedant, atque universus anni progressus tum a calido ad frigidum est, at hominem sæpe sudore æstuantem subito algoribus aëris obnoxium fieri necesse sit.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Rheumatismi acuti unica est causa, frigus nempe, seu caloris privatio; sed hæc multis sub formis, sæpe satis obscuris, effectum suum præstare potest. Aër algidus, humidus, imbres, humi dormire, vestes uvidæ, nimis tenues, extra temporis consuetudinem exutæ, qualiter indusio laneo fieri solet. Sed aliquando frigoris origo obscura est, et febres sæpe dolores rheumaticos habent, dum nautæ hoc malum rarius patiuntur, quam perpetua humidi et sicci vicissitudo eorum vitæ generi necessaria promitteret; nisi quidem salis in aqua solutio cutem stimulando frigoris effectum arceat.

DE CAUSA PROXIMA.

Quæ sit vera hujus morbi theoria, vel, ut rectius dicam, specialis ejus inflammationis indoles, nondum compertum habemus; sed certum est ex inflammatione quadam constare, primitus forsan textus fibrosi et musculosi. Hæc deinde ad alios serpit textus, et febrem inflammatoriam tandem ex consensu concitat. Novimus quoque hanc inflammationem sedem facillime mutare, dolore jaculante esse, motum et fricationem ut nulla alia inflammatio quivisset, ferre; demum nunquam in suppurationem, aut gangrænam abire. Sed cum genuina inflammationis ratio adhuc ignoretur, quomodo hujus peculiaris ejus speciei rationem reddere possumus?

DE PROGNOSI.

Plerumque rheumatismus acutus non multum periculi habet; sed in hoc ut plerisque morbis non temere præsagire optimum est. Qui enim

de futuris ejusmodi eventis vaticinari ultro audent, haud raro semet ignominiose decipiunt. Hoc utique morbo inflammatio sedem subito mutare potest, capiti, cordi, diaphragmati proxime incumbens: indiciaque periculosissima superinducens. Siquidem æger debilis sit, morbique accessionibus obnoxius, febris vehemens, eventus satis ambiguus esse potest. Memini quidem exemplum hujusmodi me vidisse, quo post varias *metastases* seu translationes, tandem telæ cellulosæ incubuit, anasarcam quæ intra septimanam vitam finivit, generans; quæque nullo modo sanguinis missioni, quæ parca fuit, attribui potuit.

DE RHEUMATISMI ACUTI FINIBUS.

Acutus sæpissime in diuturnum rheumatismum desinit. Nonnunquam vero rigiditas quædam membrorum articulos occupat, cum contractione et inversione qualis in digitis identidem apparet. Quum enim tendines ad eos ducentes, rheumatismo sedem præbuerunt, aut tendinum eorundem aponeuroses incrassatæ, bursæ mucosæ distentæ

ex humore secreto evaserunt, illi sic rigescere et contrahi solent. Alia finis esse dicitur seri in pericardium effusio, sed nunquam pus generat, nunquam gangrænam superinducit. Rarum suppurationis quod vulgo citant exemplum, aliunde accessisse censeo. Fieri tamen potest, ut aliquando per serum in cerebrum effusum terminetur.

DE SIGNORUM RATIONE.

Quandoquidem hoc in morbo ratio signorum ab indole ipsius morbi, causaque ejus proxima, fere ex toto ducenda sit, nisi hac prius in lucem protracta, illam plene tradere nemo sanus auderet. Dolor quidem, rubor, tumor, calor, inflammationis universa existunt indicia; sed cur de alia in aliam partem inopinato convolitent, articulos præferant, solitos inflammationis eventus nunquam edant, modo sudorem multum frigidum, modo cutem aridam comitem habeant, ex proprio inflammationis rheumaticæ ingenio pendet, neque hactenus intelligi potest.

DE MEDENDI RATIONE.

Signa et universa hujus morbi historia eum in inflammatione maxime consistere docent: atque quæ curatio generalis adhibenda, inde fit evidens. Contra enim inflammationem dirigi debet, qualem rationem medendi refrigerantem, seu *antiphlogisticam* hodie appellamus.

Primum vero ad victum respicere oportet. Thea hordei decocto vel intrito, nullus cibus valentior concedi debet. Ex carnibus confectus ex toto negandus, itemque potiones ex frumentis corruptis fermentatæ, vel decocta ex iisdem, quibus vinum aliquod adjectum fuit.

Potentissimum tum acutæ actionis remedium, statim administrari potest; ut ægro, si juvenis sit, sanguis detrahatur, donec pulsus debilior evadat, vel saltem inflammationis habitum quem præ se tulit, amiserit. Hunc ad finem sexdecim ad viginti sanguinis unciæ e vena cubiti mitti debent. Neque tamen opus mihi videtur in hac ut in aliis inflammationibus, puta viscerum, capitis, pectoris, abdominis, uti larga sanguinis copia simul funda-

tur, quo melius universus homo effectum depletionis subitum sentire possit. Illis enim inflammationibus dira fere proclivitas subest, ad eventum, ni graviter succursum fuerit, pestiferum festinandi. Sed in rheumatismo omnia longe aliter se habent. Partes enim affectæ vix unquam vitæ necessariæ sunt. Si malum vero sedem suam in aliquas tales forte transferat, tum quidem eadem curantis prompta et efficaci diligentia opus erit, ac si inflammatio earundem partium prima se arti ejus obtulisset. Rara tamen est hujusmodi translatio, nec consilia medendi generalia exinde immutari decet.

Si ventriculus nauseam sentire, turbatus, vel onustus quasi videatur, tum medicamento idoneo vomitum movere utile erit. Optimus autem tartras antimonii ad hoc, quippe qui summam cutem aperiat, genus vasculosum universum remolliat. Primis quidem rheumatismi diebus melius erit hunc exiguis partitisque modis, tertia vel quarta quaque hora exhibere. Post sanguinis missionem potentissimum hoc remedium est, quo actio corporis nimia sedetur.

Alvum quoque semel expurgare utile est; sed

medicamenta ad id nimis valentia nullo modo exhiberi debent. Obstant enim duo, nimirum ne æger doloribus mali propriis cruciatus, his e lecto sæpe vocantibus nimis dimoveatur; neve salvis locis inflammatis, effectum diaphoreticorum, quæ morbo manifestius prosunt, purgantia quodammodo refrænent, humoribus in alvum directis.

Balneum calidum tentari potest, sed plerumque membrorum motu ægrum adeo excruciat, ut fomenta topica melius adhibentur.

Si prima sanguinis missio non pulsum imminuat, tum sanguinem mitti iterum oportet, donec corpus effectum ejus manifesto sentiat. Sæpe quidem bis, ter, ampliusve vena secanda est, antequam optandus iste effectus obtineri potest. Nequaquam vero sanguis eousque detrahendus, donec crusta inflammationis coriacea non amplius in coagulo ejus appareat. Robur enim pulsus et plenitudo hic nos dirigere debent, ut et vires ægri, inflammationis sedes. Dubitari non potest, quin crusta hæcce adesse possit, quibus sine summo vitæ discrimine sanguis mitti nequiret, atque in rheumatismo quoque eadem minus tenax est, et viridem quodammodo affectat colorem. Du-

bium est necne inflammatio rheumatica solo sanguine misso, aliisque reprimentibus, subigi queat, neve curriculum potius suum expleat, medicina nihil nisi signa violentiora mitigare valente. Quæ utique opinio, si quid veri in se habeat, non temere ægrum gravi sanguinis jactura afficere decet.

Aliud vero remedium haud mediocriter opiferum expertus sum; submuriatem nimirum hydrargyri cum opio administratum. Submuriatis granum unum, opii sesquigranum, sexta vel octava quaque hora præbui, per dies aliquot, cura ne ægris saliva moveretur habita. Primis autem protinus diebus nullam opii formam propinare, sed hominem tartrate antimonii affectum conservare. Opium enim sæpe ingentem facultatum confusionem inducit, miserias ægrotantis exasperat.

Quod ad sudorifica attinet, nihil pulvere ipecacuanhæ et opii melius est, qui quidem cum oxydo antimonii conjunctus, ex aqua acetatis ammoniæ exhiberi potest, tertia vel quarta quaque hora.

Ex medicamentis multis in hoc morbo exhibitis, nullum supra colchicum autumnale laudari debet. Sæpe enim hoc, et magno cum commodo,

rheumatismo laborantibus præcepi. Acuto tamen quam chronico utilius videtur: vini ʒj. aut ʒij. bis in die dari possunt, magna cura habita, ne nauseam vel vertiginem gravem moveant. Elaterium quoque datum est, sed purgantia ejusmodi violenta rheumaticis præcipere, nequaquam prudentis medici est; elaterium enim, uti sæpius vidi, intestina haud raro adeo debilitata relinquit, uti pristinam firmitatem nunquam postea recipiant. Dictum tamen est novam in corpore motionem excitare, atque hac ratione affectum rheumaticum extinguere; atqui nihil a recta medendi ratione magis alienum puto, quam morbum tolerabilem expugnare conari iis remediis quæ munera viscerum aliquorum una pervertent. Dominus Baynton, Bristoliæ, doctissimus chirurgus, auctor est se rationem medendi utilissimam reperisse, ut æger sub lodice immotus conservetur; donec morbus, quod cito sic fieri solet, paulatim recedat. In magna inflammatione topica, hirudines prope partem laborantem admoveri possunt.

Quid valent frigida epithemata admota, nunquam ipse expertus sum; sed cum inflammatio

nonnihil quieverit, tum linimenta anodyna adhiberi possunt. Ubi vero ad cor morbus subito translatus est, tum sit medicatio prompta strenuaque. Memini nuper me hujusmodi exemplum, in juvene novemdecim annos nato, quo inflammatio a brachiis ad cor subito seipsum transtulisset. Ingentem in vultu angorem expressit; turbatus, quasi metu consternatus, fuit. Pulsus admodum durus, contractus, vibrans, fili tensi haud absimilis, 120 in sexagesima horæ parte micans. Rebus sic se habentibus, sanguinis statim uncias triginta detraxi. Cum jam fere anima defecturus videbatur, pulsus fiebat expansus; et auctorem habemus illustrem equitem Astleium Cooperum, se nunquam pulsum valentiorem, quam in carditide laborantibus sensisse. Postea colchicum per amplos modos propinavi, et homo demum in valetudinem perductus est. Alium vidi qui dies decem vel fortasse quatuordecim lecto affixus est. Cruciatum intolerabilem capitis querebatur, nec diu post delirio manifesto afficiebatur, ut nullo modo me sanguinem ei detrahere sineret. Ministris autem advocatis, venam cubiti secavi, sanguinemque donec anima deficeret, pro-

fudi; tum colchicum copiose ingessi. Post longam denique moram, hic quoque convaluit.

Aliis in hoc morbo curandi rationibus aliquando usus sum, et paucis infeliciter. Sed ex scriptis illustrium virorum qui hoc de morbo egerunt, ex SYDENHAMO, CULLENO, aliisque, sed maxime ex prælectionibus doctissimi olim præceptoris JACOBI GREGORY, Medicinæ Practicæ nuper in hac Academia inclyti Professoris, omnia quibus usus, vel usurus sum, præcepta deducenda esse confiteor.

FINIS.